



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Mediolanense Concilivm II. Svb Ivlio I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTI  
347.

*sunt, &c.]* Hæc occasione Donati Carthaginensis episcopi schismatici statura videntur, cuius tanta fuit superbia, vt non tantum præfectos, ipsumque imperatorem graui contumelia affecerit, in munificentiam imperatoris instar Iudæ infremuerit, munera illius quasi a peccatore oblata forent, acceptari noluerit, verum etiam per suum ipsius nomen, tamquam per numen aliquod iurare docuerit, seque vni Deo æqualem comparandum esse existimauerit. *Hoc modo,* inquit Optatus, *exaltatum est cor eius, vt sibi iam non homo, sed Deus fuisse videretur.* Item alibi: *Dum se Donatus super imperatorem extollit, iam quasi hominum excefferat metas, vt se vt Deum, non hominem estimaret.* Et infra: *Deinde cum ante ipsius superbiam omnes, qui in Christum crediderant, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo diuidere, vt qui illum secuti sunt, iam non Christiani vocarentur, sed Donatista: Et si quando ad eum aliqui ex Africana prouincia veniebant, illico ad singulos quosque venientes, hac illius erant verba: Quid apud vos agitur de parte mea? &c. Et in iudiciis publicis interrogati, singuli sic apud acta locuti sunt, vt dicerent se de parte esse Donati, de Christo tacuerint.* Hæc Optatus lib. 3. contra Parm.

Donati  
horribilis  
superbia.

Donatus se  
Deo com-  
parauit.

° MEDIOLANENSE ° CONCILIVM II.  
SVB IVLIO I.

NOTÆ.

ANNO  
CHRISTI  
350.

*\* Mediolanense.]* Mediolanum metropolis Insubrum, vulgo *Milano*, vrbs potentiae & dignitatis eximiae, quæ ob præstantem loci commoditatem imperatorum Romanorum sedes plerumque fuit. Barnabæ apostolo primo huius vrbs episcopo post alios, clarissimum lumen ecclesiæ S. Ambrosius successit. Ob vrbs dignitatem posteri antistites regem Romanorum coronandi priuilegium adepti fuisse putantur. Tempore Gratiani Cæsaris res Mediolanenses ingenti incremento auctæ fuerunt. Nam quingentis & amplius annis neque ab externo hoste, neque intestino bello Insubres vexati fuere. Durauit illa felicitas vsque ad S. Ambrosii tempora, quibus Ariana hæresis maximis calamitatibus hanc vrbs affecit. Deinde Attila in Italiã ingressus, Mediolanum diruit. Instauratum aliquantulum quieuit. Mox a Longobardis maximis agitatur molestiis. Quibus a Carolo Magno domitis, annos trecentos & sexaginta floruit. Deinde vero Fredericus Barbarossa vrbs hanc solo adæquauit. Cuius incolæ tandem Parmensium & Placentinorum ope, tanto animorum ardore patriam restaurarunt, vt multo quam ante ditior, potentior frequentiorque extiterit. Hæc ex theatro Braunii.

Mediola-  
num qualis  
vrbs.

*° Concilium.]* Anno Christi 350. cum adhuc Constans imperator in humanis esset, Mediolani episcoporum celebris Conuentus agebatur, cui cum pluribus aliis episcopis Romanæ ecclesiæ presbyteri

Tempus &  
locus Con-  
cili.

Concil. Tom. 3.

P

Valens &  
 Vrsacius  
 oblati li-  
 bello poen-  
 tentiam e-  
 gerunt.

interfuerunt. Hoc Conuentu Vrsacius & Valens, quasi a sua ipso-  
 rum conscientia flagellati, præmissis ad Athanasium literis pacificis  
 & communicatoriis, poenitentiam egerunt, confitentes omnia, quæ  
 vel dixissent, vel fecissent contra Athanasium, falsa esse, & nihil a-  
 liud quam calumniam. Neque id simpliciter egerunt, sed ita vt Ari-  
 nam fidem anathemate execrarentur, suamque poenitentiam scripto  
 promulgarent. Quod negotium cum grauius esset, quam vt hoc  
 Mediolanensi Conuentu, licet eidem Romanæ ecclesiæ presbyteri  
 interessent, absoluere liceret, neve contra antiquum ecclesiæ catho-  
 licæ morem, alibi quam Romæ, coram ipso pontifice, hæresiarchæ  
 hæresin suam abiuraturi ad communionem ecclesiæ reciperentur;  
 eosdem ad Iulium Romanum pontificem miserunt, vt coram ipso  
 post oblatum poenitentiae suæ libellum, de quo infra, vniuersa Ro-  
 mana ecclesia spectante, exomologesin agerent. Quibus peractis  
 non tantum venia donati, & in gratiam ecclesiæque communionem  
 recepti fuere, sed etiam encyclicis illis literis Athanasii pacificis &  
 communicatoriis, quas Alexandriam reuerfus miserat ad omnes  
 extra Palæstinam episcopos, cum multis aliis episcopis subscripse-  
 runt. Hæc ex epistola synodali sanctorum patrum Ariminensis Con-  
 cilio, & ex epistola Osi Cordubensis ad Constantium scripta. Baro-  
 nius anno 350. num. 18. & seqq.

EPISTOLA PACIFICA ET COMMUNICATORIA  
 Vrsacii & Valentis ad Athanasium.

*Domino & fratri Athanasio episcopo Vrsacius & Valens  
 episcopi salutem.*

Extat apud  
 Athanasium  
 apolog. 2.  
 Baron. ann.  
 350. n. 22.

**N**ACTI occasionem per fratrem & compresbyterum  
 nostrum Museum istuc ad tuam dilectionem eun-  
 tem, care frater, eius opera admodum te ex Aquileia fa-  
 lutatum volumus, optamusque te saluum nostras epi-  
 stolas perlegere: cuius rei fiduciam nobis daturus es, si  
 tu quoque in scribendo vices obseruaris. Scire enim te  
 volumus, pacem tibi nobiscum esse, & communionem  
 ecclesiasticam intercedere: cuius rei fidem esse volumus  
 nostram istis literis inscriptam salutationem. Diuina pro-  
 uidentia te conseruet, dilecte frater.

LIBELLVS POENITENTIÆ, QVEM VRSACIVS  
 & Valens Iulio obtulerunt.

Extat apud  
 Atha. apol.  
 1. Sozo. lib.  
 3. cap. 22.  
 Baron. ann.  
 350. n. 22.

**Q**VANDO QV IDEM satis constat, & nos superioribus  
 temporibus multa grauia de Athanasio per epistolas  
 criminatos esse, & tuæ humanitatis literis admonitos vt

ANNO  
 CHRISTI  
 350.

crimina probaremus, nunquam earum rerum documenta afferre potuissē: Ideo confitemur tuæ humanitati coram vniuersis nostris fratribus presbyteris, omnia quæ antehac ad vestras aures de Athanasio perlata fuere, falsa & ficta esse, & omnibus modis ab eo aliena. Ac proinde recipimus eius communionem, maxime quia tua erga Deum pietas veniam secundum genuinam suam bonitatem nostro errori impartiri dignata est. Quin & hoc promittimus, nunquam, si aliquando orientales, atque adeo ipse<sup>a</sup> Eusebius velit malitiosè eum ad iudicium vocare, nos citra tuam sententiam eo abituros. Hæreticum porro Arium, eiusque propugnatores, qui dicunt; Erat, quando non erat Filius; aut eum ex non ente ad essentiam emeruisse; aut qui neget Christum Deum esse Dei Filium ante sæcula, quemadmodum in priore nostro libello Mediolani edidimus, & nunc & semper anathemate damnamus. Nostraque manu denuo protestamur, nos Arianam hæresin eiusque auctores in æternum damnare. Ego Vrsacius, cum præsens meæ confessioni interesset, subscripsi: quod itidem & Valens fecit.

NOTA.

<sup>a</sup> *Eusebius.* ] In libello Vrsacii & Valentis, quem recitat Sozomenus lib. 3. cap. 22. de Eusebio nulla mentio habetur, & recte: nemo enim illorum Eusebiorum, Cæsariensis, Nicomediensis atque Emiseni, superstes erat, qui longe ante poenitentiam Vrsacii & Valentis defuncti fuerunt. Vnde nomen Eusebii apud Athanasium irrepsisse videtur.

HIEROSOLYMITANVM  
 CONCILIVM.

NOTÆ.

<sup>a</sup> *Hierosolymitanum.* ] Hierosolyma, ante memorabile sui excidium, bis millesimo centesimo septuagesimo septimo anno, a Melchisedec Chananæo & gentili rege & pontifice extructa, olim Salem, postea Iebus, deinde composito nomine Iebusalem, ac demum melioris soni gratia, Ierusalem appellata fuit: Ioseph. 1. & 7. antiquit. Pererius in Genes. cap. 14. num. 66. & 67. Titus Vespasiani filius, anno Christi 72. octauo die Septembris captam, post templum toto orbe celeberrimum decima Augusti incensum, eam fundit.

Hierosoly-  
 ma.

Ierusalem  
 vnde dicta.

Titus quan-  
 do urbem  
 euerterit.

Concil. Tom. 3.

P ij